



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De paucitate constantium in fide tempore Antichristi. tit. 264

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

peragere sub nomine suo, id est, officio sacerdotali? Nisi Deus tolleret sacrificium, semper peccare pergeres: non vult ergo tibi dare occasionem peccandi, &cæt. Ergo peccata hæc grandia & Simonia pessima, facient cessare iugum sacrificium, id est, Missam.

DE PAUCITATE CONSTAN-  
*tium in fide tempore Antichristi.*

TITVLVS CCLXIII.



Rimò notandum, q̄ legitur Danie. 3. quòd Nabuchodonosor rex fecit fieri statuam aureã, altitudine 60. cubitorũ, latitudine 7. cubitorum, & posuit in campo magno &cæt. Et cõuocauit oēs sapientes, duces, Barones & Principes, & præcepit vt erigerent & publicarent idolũ illud, ad sonitum quoq; instrumentorũ omnes illud adorarent, sub pœna mortis. Et sic factũ est, vt oēs illud adorarent, præter tres, qui fuerũt re-  
periti in toto populo, scilicet, Sydrach, Mysach, & Abdenago, qui magis elegerunt poni in clibanum ignis ardentis, quàm adorare idolum.

Secundò, Hoc idolum regis significat Antichristum hæreticum, qui statuam aureã erigit, id est, Hæreticam doctrinam quæ videtur aurea, alta, & fortissima, eò quòd hominibus placet sicut aurum. Galat. 1. Si hominibus placerem, &c. Subindè hanc hæresim adorare cogit Tyrãnus sub pœna tribulationis, amissionis vitæ, famæ, & bonorum, vt qui non adoraue-  
rit hunc Baal, non erit tutus: & cum omnes quærant quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, sicut dicit Apost. Phi. 2. fit vt totus mundus currat post ipsum. Vnus al-  
terum vocat, accendit, vt sequantur nouum dogma, sicuti 1. Machab. 1. Multi ex filijs Israel iniqui suaserunt multis, sicuti iam faciunt sectarij concionato-  
res: Eamus & disponamus testamentum nostrum  
cum

cum gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo rece-  
simus ab eis, inuenerunt nos multa mala, & bonus est  
vilius sermo in oculis eorum, & sic subiecerunt se regi  
Antiocho, & ædificauerunt gymnasium, fecerunt sibi  
præputia, & cæt. Sic iam hoc nostris temporibus  
quoque cernitur. Et nunc habet speciosum titulum,  
videlicet, acceptare verbum Dei, sicut etiam tunc  
fecerunt Iudæi cum gentium fide & doctrina.

Tertio, sed erant tres viri in toto illo regno, qui no-  
luerunt adorare statuam Regis, id est, Daniel cum duo-  
bus socijs, & ob id iniecti sunt in caminum ardentem,  
sed liberati per angelum Dei, Dan. 3. Per illos tres vi-  
ros demonstratum est, quod Deus non vult Ecclesiam  
suam penitus derelinquere in omni hæresi & pressu-  
ra, sed maximè ex triplici mundi statu aliquos sibi re-  
seruare, qui non curuabunt genua sua ante Baal, 3.  
Regum 18. Sunt autem in mundo superiores, sunt spi-  
rituales, sunt seculares. Ex omni ergo statu Deus ali-  
quos semper reseruat, qui sunt in potestate constituti  
siue seculari aut spirituali. Non omnes de magistratu  
permittit cadere, neque omnes spirituales, neque omnes  
laicos, sed aliquos sibi reseruat. Sic tribum Iuda sibi  
conseruauit, ne adhereret Ieroboam cum suis vitu-  
lis aureis, 3. Reg. 12. Sic Thobiam virum pium & sim-  
plicem, sic plus quam septem millia virorum in Israel  
ne adorarent Baal, 3. Reg. 19. Et si essent falsi Prophe-  
tæ Baal quadringenti & quinquaginta, & Prophetæ  
laicorum quadringenti in vno regno, qui comede-  
runt de mensa Iezabel, tamen nihil potuerunt, 3. Reg.  
18. Vicit eos vnicus propheta Helias. Sic non derelin-  
quet ex toto Christus ecclesiam suam. Nec vnquam  
aliqua hæresis inter 300. potuit Ecclesiam in toto  
mundo sibi subiugare, &c.

Quarto, Sed quoque nobis est indicta persecutio,  
quam constantes sustinebimus, licet pauci simus, sic  
ut hic tres viri in toto regno, &c. nam illi iactantur  
in fide.

in fornacem ignis, sedet Daniel in medio leonum, Daniel. 6. sed non læditur. Sic Deus constantes suos in omni hæresi liberauit & adiuuit, vt̄ de Athanasio, Augustino, Gregorio, & multis alijs. Nam promittit Christus, quoniam portæ inferorum non præualebunt, Mat. 16. ideo simus constantes, &c.

MINVETUR SPIRITVS DE-  
*uotionis erga cultum diuinum &  
 sacramenta.*

## TITVLVS CCLXV.

**D** Rimo, Apostolus 1. Timo. 4. inquit, qđ in nouissimis diebus fiet recessus à fide, & omni deuotione omnium rerum Ecclesiasticarum, illa quasi pro nihilo reputabuntur, & sine omni deuotione tractabuntur, sicuti 1. Mach. 1. legitur, quòd postquam Antiochus spoliauit templum de omnibus quicquid erat auri & argēti, statim incepit leuitas aliquorum, & perijt deuotio & templum, & illius sanctificatio desolata est, id est, solitudo, pauci de post intrabant in illud, Dies festi conuersi sunt in luctum, sabbatha in opprobrium, Honores & cultus templi in nihilum: summa, omnis gloria templi facta est ignominia, &c.

Secundò, si hoc figura fuit Antichristi. Illius tempore minuetur spiritus perfectorum & deuotorum, & omnis deuotio è corde fugiet. Nam spoliatio templi præcedens, occasionem cæterorum præstat, ne curentur. Sic inquit Methodius: sacramenta prophanebuntur, Baptisterium pedibus conculcabitur, id est, ex duplici baptismo, quem hæretici fingent, de adultis & paruulis, peribit deuotio Sacramenti. Et  
 quis